

titate influxus quem metus in consensum habuit. Ita Lugo (disp. 22. n. 135 seqq.), Ball. P. (n. 107 seqq.), etc. contra S. Alph. (n. 718) et alios, qui opinantur hujusmodi contractus probabilius universim valere.

Hinc saepe rescindibilis est contractus initus propter importunas preces : quippe quae non raro levis mali metum injiciunt. (Ball. P. n. 112)

V. Si metus incutitur quidem ad extorquendum assensum, sed a *tertio quodam*, nullatenus conivente altera parte, contractus est validus, jure tamen civili rescindibilis. (C. C. a. 1111) Ideo metum passus hanc nullitatem petere poterit ; interim altera pars, cum sit injuriae expertus, contractum tamquam validum urgere potest. (Ball. P. n. 114)

VI. Si metus *ad alium finem incutitur*, contractus, qui ad hoc malum vitandum initur, per se validus est, quando initur cum eo qui hujus injuriae nullatenus est particeps, ex. gr. si promittas mercedem viro ut te a latronibus insidiantibus tueatur : is enim metum tollit, nedum inferat ; quando autem initur cum eo ipso qui hunc metum incutit, rescindibilis est ad nutum metum passi ; ex. gr. si sponte promittas pecuniam inimico ut a vita tua aggredienda desistat : nam injuriam inferens tenetur ad reparandum omne damnum inde exortum.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE E CONTRACTU ORTA.

§ I. DE OBLIGATIONE SUBSTANTIALI.

593. Sufficit hic quaedam generalia principia praestituere. Multas particulares determinationes de executione contractum effert C. C. (aa. 1136-1167) quae confessario minus scitu necessariae sunt vel e principis hic positae satis intelleguntur.

I. Obligatio contractus imprimis determinatur ex ipsius tenore : id enim de quo expresse conventum est, legis instar habendum est (a. 1134), etiamsi forte legis vel consuetudinis determinationibus contrarium sit. Cfr. n. 578.

II. Contractus *bona fide* sunt exsequendi (a. 1134), ideoque obligant non tantum ad ea quae explicate enuntiant, sed ad omnia consecutaria quae, juxta aequitatem, consuetudinem vel legem, ex hujusmodi obligatione oriuntur. (a. 1135)

Hinc patet injustum esse qui debiti solutionem differt ultra terminum quo communiter hujusmodi debita a probis debitoribus solvuntur, nisi creditor omnino libere in majorem dilationem consentiat : nam, ubi nullus terminus expresse a vendente, locante, etc. statutus est, implicite obligat se emens, conducens etc. ad solvendum tempore quo solutio fieri solet, ex. gr. infra annum. Neque excusatur amplior dilatio eo quod creditor non petat, nisi hic omnino sponte ita dispositus sit ut solutionem recipere velit tantum quando eam petiturus est : nam multi mercatores a petenda solutione abstinere, metuentes ne clientem a se removeant, ac proinde hujusmodi tacitus consensus nullus est. (n. 499) Manifestum est dilationem illam injustam tanto magis peccaminosam fore quanto major est necessitas in qua versatur creditor. Hinc facile peccatum grave, saltem contra caritatem, admittunt qui procrastinant solvere salarium eorum qui ex eo singulis hebdomadis mensibusve accepto aluntur, vel merces emptas a mercatores qui pecunia solvenda indigent ad se alendos vel negotiationem prosequendam.

III. Regulariter obligationes contractus solos contrahentes afficiunt. (a. 1119 seqq.) Attamen obligationes contractuum ad heredes, creditores aliosve qui contrahentibus succedunt, transmittuntur, nisi contrarium expresse inter eos convenerit vel e natura contractus sequatur, ut contingit, ex. gr. in contractu locationis operarum. (aa. 1122, 1795)

IV. Contractus qui lege civili *nulli*, i. e. rescindibiles declarantur, unam partem obligant donec altera pars, in cujus favorem rescissio lege concessa est, eam postulet. Cfr. n. 580 seqq. Haec autem pars rescissionem petere potest, nisi ei libere et valide renuntiaverit : quod facere potest quando concessio facta est tantum in privatum ejus favorem, non autem quando facta est e motivo boni communis. Sic nulla foret renuntiatio juris ad rescindendum contractum facta a minore quem ad eam induceret pars quacum contraxisset : nam contra bonum commune foret quod homines perversi hoc facile medium haberent quo imprudentes adulescentes a beneficio restitutionis excluderent. Cfr. Lehm. I. n. 1070.

594. Non leviter inter AA. controversatur utrum contractus qui legibus civilibus declarantur nulli, quando certis formalitatibus carent, jam ante judicis sententiam sint, etiam in foro conscientiae, invalidi an tantum rescindibiles. Qua de re cfr. Ball. P. (nn. 24-44) ; Marres (l. 3.

n. 21 seqq. et Epilogum ad vol. I. 2^a edit.); Van Gestel (de Just. et lege civ. p. 172 seqq.). Ad praxim sufficet sequentia statuissse :

1^o Nequit denegari legislatori civili potestas condendi leges quae contractus etiam in foro conscientiae et ante iudicis sententiam irritent. Tales enim leges possunt ad bonum commune conducere, neque apparet qua ratione denegaretur legislatori facultas quae sententiae iudicis adstruatur. Supponitur tamen, ut per se patet, legem hanc civilem non ferri in contractum qui, ut matrimonium christianum, ipsius auctoritati minime subiaceat.

2^o Quaestio igitur huc redit ut determinetur quaenam fuerit legislatoris civilis mens, legis verbis expressa et usu recepta, utrum scilicet legem ipse tulerit et cives communiter observent eo sensu quod contractus jam ante iudicis sententiam, in foro conscientiae, sit nullus, an nullitas in eodem foro tantum post hanc sententiam vigeat. Jamvero, ut patet e dictis n. 464, haec mens legislatoris, in plerisque regionibus, jam non est quaerenda, saltem directe, in Jure Romano ejusque interpretibus vel apud Theologos morales eidem Juri innixos. Ubicumque viget Jus novum, ad leges novas earumque interpretes vel ad consuetudinem virorum proborum recurrendum est.

3^o De legislatore nostro (idem dic de codice Gallico, Batavo, Austriaco, etc.) theoretice parum constat utro sensu hanc nullitatem pro foro conscientiae intellexerit. Neque ipsi Juris civilis interpretes unanimes sunt in lege declaranda. Multi opinantur, ex Jure nostro, plures contractus in foro conscientiae, ante omnem iudicis sententiam, irritari. Hi ergo distinguunt contractus *nullos* seu rescindibiles et contractus *inexistentes*, qui nempe, ob defectum alicujus formalitatis, nullos omnino effectus producant, perinde ac si ipsis deesset elementum jure naturali requisitum, puta voluntas deliberata. Nihilominus et ipsi fateri debent hanc distinctionem in codice expresse non reperiri. His adhaerent etiam plures Theologi recentes, ex. gr. Marres (ll. cit.) et Waffelaert (t. I. n. 352 seqq.), quorum doctrina sane probabilis est.

Probabilior tamen videtur sententia opposita, quam fuse tuetur Van Gestel (l. c.) et cui adhaerent Ball. P. (nota ad n. 44), Lehmk. (l. n. 1073), etc. Neque ipsi adversarii ejus probabilitatem negare solent. Cfr. Marres. Epil. cit. n. XX. Ratio praecipua est : contractus jure naturali validos (ut supponitur) non esse habendos ut nullos, donec de hac nullitate clare constet. De hac autem clare non constat in Juribus plerisque recentioribus, sicut nec sub Jure Romano, ut liquet e defectu clarae determinationis in Codice civili et e controversiis jurisperitorum. Adde : communem persuasionem timoratorum, in nostris saltem regionibus, restringere has nullitates ad effectus mere civiles, nempe ad jus alteri parti concessum ut a iudice sententiam nullitatis obtineat. Haec

autem sententia, omnium consensu, etiam in foro conscientiae obligat : id enim et publicus ordo requirit et legislator merito intendisse censetur.

4^o Regulariter ergo licet rem e contractu jure naturae valido, sed forma legali destituta, puta e donatione carente formalitate quam requirit C. C. a. 931, accipere et retinere donec legitime repetatur. Regulariter, inquam : nam interdum restituenda esset, eo quod secus ordo publicus perturbaretur vel jus tertii per accidens laederetur.

5^o Prorsus nulli censendi sunt contractus quidam *ob specialem materiam* circa quam versantur. Ita nullus est contractus de re turpi (n. 596) vel cujus absolutam nullitatem postulat commune bonum, ut in exemplo supra dato (n. 593) minorennis renuntiantis juri suo ad petendam rescissionem contractus quo laesus est.

De testamentis informibus speciatim infra dicitur. (n. 674 seqq.)

§ 2. DE OBLIGATIONIBUS ACCIDENTALIBUS.

595. Obligatio contractus quandoque per condicionem adjectam suspenditur, quandoque variis clausulis seu modis adjectis augetur vel minuitur. De his quasi-speciebus obligationum agit C. C. aa. 1168-1233. Hic breviter quaedam principia statuemus.

I. Sola **condicio de futuro contingente** contractum proprie conditionatum efficit ejusque obligationem suspendit, ex. gr. " si legatum mihi relinquit avunculus meus, tibi dimidium tribuam. „ Obligat hujusmodi contractus ad eventum hunc exspectandum, nec potest interim aliquid fieri quo jam impleri nequeat, ex. gr. alienando rem condicionate promissam. Quando condicio impleta est, contractus, absque novo consensu, fit absolutus; ex quo autem certum fit condicionem numquam impletum iri, evanescit.

Quodsi adjecta fuerit condicio de praeterito vel praesenti, statim contractus valet vel irritus est, prout condicio cum rerum veritate congruit vel ab eo discedit.

Condicio de futuro necessario per se pro non adjecta habetur; attamen quandoque suspendere potest obligationem ex intentione contrahentium, ex. gr. si quis dicat : " Dabo tibi equum si pater meus morietur „, vel quia ignorant utrum res sit eventura necne. (Lugo, disp. 22. n. 336)

596. II. Si additur **condicio de re impossibili** et quae ut talis a contrahentibus cognoscitur, contractus fit nullus : quia nemo potest se ad rem manifeste impossibilem obligare, ideoque censetur nugari. (C. C.

a. 1172) Si tamen contrahens nesciret rem impossibilem esse, posset dari verus consensus : nempe ex adjunctis videndum utrum, si cognovisset condicionem hanc esse impossibilem, voluisset absolute se obligare. Nam, ubi quaestio de valore contractus in foro conscientiae agitatur, ante omnia inspicienda est contrahentis intentio, a qua pendet ut consensus ipsius tali conditioni alligetur vel non. (Ball. P. n. 22)

Conditio de re inhonesta seu turpi reddit contractum de jure naturae et positivo nullum : quia nemo se ad rem inhonestam obligare potest. Insuper rescindibilis est e Jure civili (C. C. a. cit.) contractus initus sub condicione legibus prohibita : quae erit etiam condicio turpis, nisi leges illae sint mere poenales.

Attamen in donatione inter vivos et testamento, Codex civilis (a. 900) tamquam non adjectas reputat condiciones impossibiles aut contrarias legibus vel moribus : quare contractus substantia intacta manet. Haec dispositio desumpta ex Jure Romano, quatenus saltem testamenta complectitur, in se nihil absonum habet : nam, praesertim quando contrahens defunctus est, merito censi potuit addidisse hanc condicionem ex errore et voluisse ut nihilominus substantia contractus valeret (Lugo, n. 343) ; quatenus autem extensa fuit ad donationes inter vivos, parum rationabilis est et prodiit e voluntate legislatoris infensa Ecclesiae et societatibus religiosis. Videsis Laurent. Cours él. t. II. n. 224. Ideo in foro conscientiae nulla obligatio oriretur e testamentis vel donationibus e quibus iudices sustulissent condiciones quibus manifeste substantialem consensum suum testator vel donator affigeret, et quae falso declararentur contrariae legibus vel moribus. Ex. gr. si legatum relinqueretur Petro protestanti dummodo catholicus fieret, condicio haec expungi non posset, quasi adversa legibus quae libertatem conscientiae tuentur.

597. III. Condicio censetur impleta quando debitor, qui sub ea obligatur, impedivit ne verificaretur. (C. C. a. 1178) Ratio est, quod hic fraude sua alteri parti detrimentum infert.

IV. Condiciones adimplendae sunt ea ratione qua partes eas impletum iri intenderunt (a. 1175) : legem enim supremam constituit contrahentium voluntas. Quare poterunt impleri non formaliter sed aequivalenter, quotiens aequivalens impletio intentioni partium, per clausulas contractus aliterve manifestatae, satisfaciet, vel si impletio formalis exigi non posset quin turpis evaderet. Ideo aliqui AA., ut Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 123), existimant legatum relictum puellis, *etiam indeterminatis*, ut nubant, dari posse iis quae religionem ingrediantur : quia, si testator expressisset excludendas esse a beneficio suo puellas religionem ingredienti, talis dispositio esset turpis. Merito tamen S. Alph. (l. 4. n. 930)

contrariam sententiam dicit certe probabiliorem, quamvis, ob dispositiones positivas Juris Romani, teneat dari posse personae *determinatae*, quae religionem ingredi velit, legatum eidem relictum ut nubat.

V. Dies praefixus contractui adimplendo non suspendit ejus valorem, sed differt tantum adimplentionem donec dies ille advenerit. (a. 1185) Talis autem terminus praesumitur semper in favorem debitoris additus, nisi ex ipso tenore vel circumstantiis appareat eum etiam in favorem creditoris statutum esse. (a. 1187)

598. VI. In contractu **alternativo**, ex. gr. ubi convenit ut pro locatione agri praestetur vel pecuniae summa vel pars fructuum determinata, debitor eligere potest ultra e duabus rationibus pacto statutis satisfacere velit, nisi expresse conventum fuerit hanc electionem penes creditorem fore. (a. 1190)

Quando una e duabus rebus in individuo determinatis, quarum alterutra praestanda erat, periit, altera tradenda est ; attamen si jus eligendi est penes creditorem et una res debitoris culpa periit, creditor petere potest vel alteram rem vel pretium illius quae periit.

Quando vero utraque res periit, et debitoris culpa saltem alterutra periit, regulariter solvendum est pretium illius quae ultimo loco periit : siquidem haec, priore pereunte, simpliciter creditori debita fuit. Attamen, si quando jus eligendi est penes creditorem, is pro libito alterutrius rei pretium petere potest. (aa. 1194 seqq.)

Tandem si ambae res, sine culpa debitoris et antequam hic in mora culpabili versaretur, perierunt, contractus, deficiente materia, evanescit. (a. 1195)

VII. Quando contractui additur **poena** ab eo luenda qui obligationem suam nullatenus vel tardius quam convenerat, impleat, haec poena praestanda est ante iudicis sententiam si, ex culpa theologica, omissa vel dilata est impletio contractus : nam apponitur pro damni compensatione et non in poenam delicti. Verum, ubi sola culpa juridica omissio vel dilatio contigit, poena non est praestanda ante iudicis sententiam, nisi expresse contrarium inter paciscentes convenerit : nam praesumendus est poenam accipiens id intendisse tantum de culpa vera seu theologica. Ubi autem casu tantum fortuito, absque ulla culpa vel neglegentia, contractus condiciones non servantur, nullo jure poena peti potest. Cfr. Lugo, disp. 22. sect. 15: Marres, l. 3. n. 266.

VIII. Quando contractui, praesertim gratuito, apponitur **certus finis** ad quem datur, aliquando non oritur vera obligatio ad hunc finem pro-

curandum, quia alter contrahens absolute rem donare intendit, ex. gr. si datur alicui pecunia a consanguineo ut possit studere vel ludere; si quis a Statu accipit, ratione officii, hordeum ad alendum equum quem non habet, etc. Ubi autem constat voluisse donatorem ut res ad illum finem adhibeatur, non tamen semper donatio est in foro conscientiae invalida; videndum nempe e tenore vel adjunctis, utrum haec fuerit donantis intentio an tantum ut obligationem implendi hunc modum imponeret. (Lugo, disp. 23. n. 111)

§ 3. DE JURAMENTO CONTRACTIBUS ADDITO.

599. I. Quando juramentum additur *contractui valido*, inducit obligationem religionis, praeter obligationem justitiae e contractu ortam, ad hujus tenorem exsequendum. Cfr. dicta n. 304 seqq.

II. Quando juramentum additur *contractui qui servari nequeat sine peccato etiam levi*, nullam inducit obligationem: nam nequit esse vinculum iniquitatis, ut liquet.

III. Quando juramentum additur *contractui qui nullus est jure naturae, vel qui jure positivo nullus declaratur ob rationem e bono communi quaesitam*, certum est tales contractus non firmari per hoc juramentum ita ut ex justitia implendi sint et alteri parti jus tribuant. Ratio prioris partis est, quod firmari nequit id quod nulla ratione existit; posterioris, quod quidquid ob bonum commune prohibetur, censetur esse contra bonos mores. (Ball. P. tract. 6 de Juram. n. 91)

Communis autem sententia hanc regulam generalem ponit: juramentum promissorium servandum esse, quotiens id fieri possit sine peccato. Rationes hujus asserti afferunt, tum quod reverentia divini nominis exigit ne Deum in testem falsitatis adducamus, tum plures textus Juris Canonici (ut Deer. l. 2. t. 24. c. 6.) quibus jubentur praestari ea quae jurejurando promissa sunt, ex. gr. usurae, licet statim postea eadem sint ei qui praestitit restituenda. Attamen, cum hic nullum jus alteri parti quaesitum sit et tota obligatio e religione descendat, concedunt eam tolli posse ab eo qui facultatem ordinariam vel delegatam habet dispensandi in juramentis. (Lugo, disp. 23. n. 194; S. Alph. l. 4. n. 177)

Nihilominus probabilis videtur sententia: neque illam obligationem ex religione subsistere, quia juramentum hic se habet ut accessorium: quare, cadente principali, cadet et accessorium. Ad rationes autem communis sententiae responderi potest: 1^o Vix intellegitur quomodo Deus auctoritate sua firmare velit obligationem inutilem, cum juramenta

vana et inutilia, omnium consensu, non censeatur acceptare; inutilis autem videtur obligatio solvendi rem propter jusjurandum si statim, ob defectum juris in altera parte, eandem rem possis repetere. Nec apparet quomodo secum constant communis doctrinae assertores, dum concedant eam obligationem, quae tamen unice est ad Deum, evanescere si altera pars praestationi renuntiet: nam qui nullum jus habet, renuntiatione sua nihil efficere potest. 2^o Textus Juris Canonici commode intellegi possunt de prudenti oeconomia a RR. PP. statuta ne facile homines juramenti obligationem infringerent, sed, relaxationem petentes, sanctitatem jurisjurandi melius agnoscerent; valde dubium tamen est num haec positiva disciplina, inductis aliis moribus, adhuc vigeat. Cfr. Ball. P. l. c. n. 86.

600. IV. Quando juramentum additum est *contractibus qui jure naturae valent, jure autem positivo rescindibiles sunt*, hi quandoque, in Jure Romano, propter divinae Majestatis reverentiam firmabantur et irrescindibiles fiebant ita ut alteri parti jus strictum darent; juribus vero civilibus recentioribus nulla talis efficacia juramento asseritur. (Marres, l. 3. n. 275) Ideo, cum unice e jure positivo talis confirmatio repeti posset, hodie tales contractus manent quod absque juramento essent; neque ullum jus firmum alteri parti tribuunt. Juramentum tamen, utpote contractui de se valido inhaerens, obligat e virtute religionis, sed a competenti auctoritate ecclesiastica relaxari potest. Hic casus est minoris qui juramento promisit se rescissionem contractus a se initi non esse petiturum.

V. Juramentum *metu extortum*, secundum communem sententiam, obligat ad servandum e religione contractum cui adnexum est, licet hic nullus sit vel saltem ad nutum metum passi rescindibilis. (III) Practice tamen probabilis est sententia quae hanc obligationem negat, ut supra expositum est. (ib.) Ideo non videtur, in rigore juris, vigeat obligatio petendi relaxationem juramenti quo aliquis metu mortis promississet latroni se ei certam pecuniae summam daturum esse; tale juramentum, quo nullum jus latroni acquisitum est, ab Ecclesia relaxari posse consentiunt omnes. Neque, ob eandem rationem, teneretur ad redeundum in carcerem qui illud jurejurando promississet, si probabilis esset timor mortis vel gravissimi damni injusti, quamvis plerique DD. contrarium opinentur. (Ball. P. l. c. n. 102)